

## Werk

**Titel:** De Christo Jesu, Beneficiis Et Laudibus Eius, Aliquot Christianae reliquiae veter

**Ort:** Lipsiae

**Jahr:** 1652

**Kollektion:** DigiWunschbuch; VD17-Mainstream

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN690003765

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN690003765>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=690003765>

**LOG Id:** LOG\_0006

**LOG Titel:** Incerti Auctoris de Laudibus Domini

**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

# INCERTI AUCTORIS DE LAUDIBUS DOMINI.

**Q**uis queritur serâ virtutis dote juvari?  
Quis promissa Dei lento procedere passu?  
Quis sine humano méritur judicis urnam  
Perpetui, tardumq; putat, quod secula debent,  
5. Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?  
Nobilis ingenti testatur gloria facto.  
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas  
Tardus Arar, pigrumq; diu vix explicat amnem,  
10. Quia fratrum Rhemo progignitur Heduæ pubes,  
Conjugium memini summâ pietate fideq;  
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris:  
Votum erat ambobus, socium præcedere morte,  
Mærorig, pio curam mandare sepulchri.  
Sed prior uxorem decreti pagina legit.  
15. Tum vir sollicitus largo jubet ore cavari,  
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa:  
Susciperet veniens, æternaq; fœdera jungens;  
Ut quos viventes renuisset lectulus idem,  
Post præcepta Dei, bustum commune levaret.  
20. Sensit vota sui conjunx præsa mariti,  
Magnaq; temporibus tribuit miracula castis.  
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,  
Et repetita manus constringat vincula truncu,  
Ne quibus humanae complentur munera vita,  
25. Accidat informis fluitatio dissociatis.

Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,  
Jungendus socia prospecta sede maritus.

Postquam morte viri reserata est janua leti,  
Horrendumq; Larem jam lux ingrata retexit:  
30. Deprensa est levam protendens fœmina palmā,  
Invitans socium gestu viventis amoris.

Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?  
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?

Tu facis hæc, tu Christe Deus, tua signa moventur,  
35. Paulatimq; doces sopita resurgere membra.

Tu, quem venturum sancti cecinere Prophetæ,  
Incorrumpa Dei soboles, rectorq; regentis,

Quo sine nil magnum, genitor deliberat ingens.

Cujus ad imperium certis mare constitut oris,

40. Nec licet immenso terris excurrere ponto,  
Planaq; montanos includunt littora fluctus.

Qui vario stabilem dotasti munere terram  
In nostros usus, largus pietate paterna:

Te vade mortales committunt semina sulcis,

45. Et novus arenti procedit cespite partus.

Tu manare jubes fœcundo nectare vites,

Tu gratos epulis hominum, medicosq; saluti  
Arboribus succos, tu trudis dulcia mella.

Tu servire jubes homini genus omne animantum,

50. Insuper & gravibus lucos curvescere pomis,  
Atq; novos redditus nullo de semine nasci:

Tu varios amnes nostro prodesse labori,

Et renovare sacris benedictum fontibus ævum.

Te

Te duce velivolis patuerunt æqvora rostris,  
55. Divisosq; fretis lustravit navita portus.

Tu postquam certis sunt acta elementa figuris,  
Ne torpere rudi cælestis machina vultu  
Inciperet, vario signasti munere mundum,  
Et quicquid cœlo radiat, tua dextera finxit:  
60. His aulam domini placuit contexere signis.  
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,  
Affiduumq; alacer numeraret navita portum,  
Crebra satis tumido desigitur insula ponto:  
Nec tamen insano metuit circundata fluctu,  
65. Exiguoq; fretis innitens orbe resistit,  
Te duce confidens, cuius venerabile pactum,  
Nexum lege pari, summumq; imumq; peræquat,  
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.  
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,  
70. Vitibus aptandos jussisti assurgere colles,  
Grandibus & largos umbracula texere lucos.  
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,  
Innumeros fætus proceris saltibus addis:  
Incola ne nemori, neu desit preda petenti.  
75. Tum volucres multas, & mille examina vocum  
Mortali harmonia lucis resonare canoris.  
Sic annum placuit variis intexere formis,  
Et vice jucunda mortalibus addere fructum:  
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,  
80. Neve brevis justum raperet nascentibus ignem:

Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisi,  
Dat requiem fessis hominum nox roscida curis.  
Utque humana salus securum duceret evum,  
Sponte salutares de cespite surgitis herbae:

85. Has pater ipse serit nutu, non vomere dives.

Non ego ferrato tegerer si viscera muro,  
Ferrea vox linguaq; forent mihi mille canenti,  
Munera cuncta queam vestra pietatis obire.  
Sed pater ille tuus secreta in sede locatus,

90. Nec cuiquam visu facilis, cunctisq; tremendus,  
Te misit dominum terris vitaq; magistrum.  
Et quisque natum justo veneratur honore,  
Ambobus sua vota dicat vitamq; perennem.  
Tu casti rectiq; tenax, et flectere leges

95. Post crimen facilis, si quem recordia preceps  
Depulit a vobis prescripto limite vita.

Te genitor nostra, paterentur ut ora tueri,  
Induit humanam facie membrisq; caducis.

Quis tentaret enim fragiles attollere visus,  
100. Si tales trepidis voluissest sistere terris,  
Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,  
Presentemq; jubes directa pavescere poenam:

Vel cum placatus, campus sitientibus imbris  
Dividis, et dubias sulcis producis aristas.

105. Ne tamen insignem res nulla ostenderet or-  
tum,

Virgine conciperis. non sufficit esse pudicam,

Nec

Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratre,  
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.

Mox ubi processu felix maturuit ætas,

110. Indociles animos monitis servare paternis

Aggrederis, rectamq; viam labentibus offers.

At q; ut missa Deo penitus præcepta paterent,

Imperium tu morti adimis, morboq; soluto.

Desperata jubes apprendere munia vita,

115. Restituisq; diem cæcis, & ne q; vid inausum

Restaret penitus, quo perfidus error obiret,

Indicis sensum tumulis, & condita pridem

Membra jubes iterum superas consurgere in auras,

Agnoscunt q; suum dilecta cadaver a nomen.

120. At postquam legem sectator idoneus hausit,

Ut se mortali cœlestis spiritus aula

Exueret, legi intentum quo cuncta doceres.

Pro summo toleranda Deo, recteq; perennem

Contemptu mortis sibi queng; assumere vitam:

125. Sic completa ferens genitoris iussa, redisti.

Ad summi secreta poli, quæ lucidus aether

Pigravet at proprio succedere nubila cœlo.

Atq; ut certa foret pereuntis copia turbæ,

Quæ præcepta Dei miserandis auribus arcet,

130. Nec nova defunctos jam pridē jura tenerent:

Carceris inferniferalia, libera nobis,

Innumeramq; jubes tenebris emergere plebem,

Histantum clausis, quos impia vita notarit.

Et loca pœnarum venturis dividis umbris,  
Quæ tibi non credant, vel quæ se credere singant.  
136. Sancte Deus summus, Dei venerabile pignus,  
Ad cuius nomen violenta morte fugat &,  
Pectoribus propriis, alienaq. pectora nacta,  
Exclamat, pallentq. animæ, iussæq. recedunt,  
140. Sicut multa prius de te miracula produnt,  
Cum terram cœlumq. inter suspensa tenentur,  
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.

At nunc tu Dominum meritis, pietate parentem,  
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,  
145. Edictisq. parem, quæ lex tibi condita sancit,  
Victorem lœtumq. pares mibi Constantinum!  
Hoc melius fœtu, terris nihil ante dedisti,  
Nec dabis, ex quo ventutinam sua pignora Patrem!

## NOTA AD INCERTI AUT. DE LAUDIBUS DOMINI

V. 7. Nam quæ stagnanti prælabitur agmine ripas  
Tardus Arar, pigrumq. diu vix explicat amnum  
Quæ fratum Rheno, progignitur Heduæ pubes.]  
Male veluti unicâ voce alteriq. fluminis Diuinx lege-  
batur apud Fabricium & sic dubio procul in Ms. ex-  
aratum fuerat à librario; Cum de solo Arare loqua-  
tur Auctor, qui juxta Heduos ex Alpibus à monte  
Vogeso per illorum & Seqvanorum fines fluit in  
Rhodanum juxta Lugdunum. Quæ posterior illo  
auctus fit rapidissimus, cum ante quodammodo u-  
terq; tardus videretur, Araris verò tardior, Unde  
Lucanus l. 7. capiendus:

Rho-

Rhodanumq; morantem Præcipitavit Arar.

Et Claudianus:

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.  
Cæsar. I. de bel. Gall. c. 8. Flumen est Arar, quod per  
fines Æduorum & Sequanorum influit incredibili lenita-  
te, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non pos-  
sit. Itaq; vix explicat amnem, cum diu fluxit: & ideo  
stagnanti agmine prælabi potius ripas, quam præfluere  
dixit. Est enim stagnare non modò perpetuum,  
laticem subjecere irremisso fonte profluantem, sed  
eundem tardè manantem & ferè paludis ad instar  
consistentem. Virgil. IV. Georg.

Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.

Et Columella de terra hortensi:

Nam neg; sicca placet, nec qvæ stagnata palude

Perpetitur querula semper convicia rana.

Item Ovidius lib. XV. Metam.

Quæg; sitim tulerant stagnata paludibus hument.

Agmen verò aquæ perennis fluvii vicem dicunt Poë-  
tæ, velut hic Noster & Cyprianus:

Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen. V. Barth,  
I. 35. c. 16.

V. 9. Qua fratum Rhemo progignitur Hedua pubes.]

Ita restituo pro Rheno. Qvia Ædui olim Romanoru  
fratres dicti, V. Cæs. de B. Gall. iidemq; dicti Αἰδόσιοι  
τύμπαχοι Εωμαῖων τεργ; τῆς Κελτικῆς Γαλατία. Ut ha-  
bet Stephanus ex Apollodoro, quos Robertus Ste-  
phanus eosdem cum Æduis vel Heduis apud Dionē  
credidit. qvorum loca hodie Burgundiones tenent,  
eorumq; civitas Ædua nunc Augustodunum est.

V. 12. Votum erat ambobus, sōcium præcedere morte.]  
Melius censeo, qvām Et votum ambobus.

V. 15. Tum vir sollicitus largo jubet ore cavari,  
Post mortem fiant qvæ membris hospita saxa,  
Suspiciant geminos aeternaq; fædera jungant :  
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,

Post præcepta Dei bustum commune levaret.] Qvo  
pacto sensum ordinemq; suum qvinis illis versibus  
reparatum judico, qui priùs deficiebat. Hoc enim  
utriq; in votis fuerat, ut qvām citissimè morerentur,  
nec alter alteri superviveret; Cum verò ad Domini  
decretum uxor prior oppetiisset, viduatus maritus,  
talem tumbam, tamq; largam in saxo excavari vo-  
luit, qvæ utriq; recipiendo esset; ut qui per exiguum  
temporis spatiū in uno thalamo conjunctis vi-  
xissent animis, per longissimum illud qvoq; non  
dissociarentur. Itaq; medius versiculus minime  
furcillis in solas terras ejiciendus erit, ceu D. Barthig  
I. 26. c. 10. jussit, qvod nemo ejus sententiam nisi di-  
vinus assequatur. Cui tamen illud merito debe-  
mus, qvod post præcepta Dei legendum & intelligen-  
dum sit, post evocationem, vel ut in formulis Chri-  
stianorum testamentorum legatur, cum Dominus de  
ipso præceperit, wann Gott über ihn gebieten würde.

V. 23. Et repetita manus constringant vincula truncō]  
Non constringat. Qvia vincula manus ipsas vin-  
ciunt & toti truncō alligant, ne hinc inde diffluant,  
qvæ maxima esset deformitas. Id, quod auget mi-  
raculum, fœminam illam prædefunctam, cum ma-  
nibus qvoq; constrictis esset, lœvam nihilominus  
protendisse jam sociando marito, unde sequitur v.  
32. quis vincula solvit?

V. 28. Postquam morte viri referata est janua Leri.]  
Non laeti, ut apud Fabric.

V. 29. Horrendumq; Larem iam lux ingrediare texit.]  
Ubique vox idolatriam ethnicam resipiens etiam à Christiano usurpata est pro domo per metonymiam, ut ab Horat. 3. Carm. Oda 29. Parvo sub Lare. item 1. Ser. Sat. 2.

Qui patrium mime donat fundumq; laremq;.

V. 44. Te vade mortales committunt semina sulcis,

Enovus arenti procedit cespite partus.] Cùm vas  
juxta Festum sponsorem significet in re capitali, qvì  
reum capitis sistendum promittebat sub ejusdem  
supplicii pœna vel mulcta gravissima; mirum, qvì  
hac voce uti hic voluerit vel potuerit Auctor. Nu-  
spiam enim tale vadimonium subiisse legitur Sal-  
vator, quod nisi annona proferretur, ipse mortem  
subiturus esset Christus. Unde conjiciebam legen-  
dum, Te duce, quod aliquoties postea repetiit. Ve-  
rū qvia omnino major ejus, qvā Pythagoreo-  
rum amicorum, vel Damonis & Pythiae fuit amor,  
& revera pro genere humano passus & mortuus est  
simul tamen resurrexit, eo ipso vadimonium jam  
præstigit, & nos resurrecturos ad exemplum frugum,  
qvarum semina in terrā prius computrescerent, ni-  
hilominus tamen nova parturitione de cespite re-  
nascerentur. Qva similitudine apud Christianos,  
nihil frequentius, sicuti ad Dracontium & Tertul-  
lianum ostendimus. Qvorum posterior lib. de re-  
sur. carnis c. 12. ait: Revolvuntur hyemes & aestates &  
verna & autumna cum suis viribus, motib; & fructibus.  
Quippe etiam terra de cœlo disciplina est, arbores vestige-

post spolia, flores denuò colorare, herbas rursus impone-  
re, exhibere eadem quæ absunta sint semina; nec prius  
exhibere, quâm absumpta. Miraratio: de fraudatrice ser-  
vatrix: ut reddat intercipit: ut custodiat perdit: ut inter-  
gret vitiat: ut etiam ampliet, prius decoquit. Siqvidē uber-  
iora & cultiora restituit, quâm exterminavit. Revera  
fænore interitu, & injuriâ usurâ, & lucro damno, semel  
dixerim, universa conditio recidiva est. Qvin majus  
miraculum visum est nostro, qvod vel sine projecto  
semine qvatannis immensi fructu proveniant, qvan-  
do Deus jubeat

V. 50. — *gravibus lucos curvescere pomis*

Atq; novos redditus nullo de semine nasci.] Barthius  
post Gellium multa ejusmodi verba in escere vulgo  
minus nota collegit, lib. 35. c. 9. Quæ inter curvescere  
istud apud hunc Auctorem nostrum legeretur. Sed  
& apud Ciceronem i. Tusculana vetus qvidam  
Poëta jam olim usurpaverat:

Hic dum suo non intermittit tempore  
Solum nitescere, arbores frondescere,  
Vites letifice pampinis pubescere,  
Rami baccarum ubertate incurvescere.  
Segetes largiri fruges, florere omnia,  
Fontes scatere, herbis p:ata investirier.

V. 67. *Ne torpere rudi cœlestis machina vultu*

Inciperet, vario signasti munere mundum.] Mundus  
Romanis vatibus nonnunquam cœlum sonat, ut  
apud Manilium. Conjunxit verò apud Macrobius  
1. 6. c. 2. Ennius Scipione: Tumq; cœli mundu' vasus  
constitit silentio.

V. 61. *Jam fretane nullis agerentur inhospita terris,*

As-

*Affiduumq; alacer numeraret navita portum;  
Crebra satis tumido defigitur insula ponto.] Legerim:  
Affiduum utq; al. numeraret navita portum. Hoc sensu:  
Alacritatem navigandi facit freqventia portuum.  
Nimirum ne prorsus humanis cultibus inhospita  
essent freta, & ut assiduum, hoc est, frequentem,  
crebrum & veluti perpetuum portum nauta seiret  
ubiq; non deesse suis laboribus, fixit insulas in pon-  
to Creator Opt. Mx. Neq; aliter perpetuum dicitur,  
quod non est interruptum, continuum. Virgil.*

*Vescitur Æneas simul & Trojana juventus*

*Perpetui tergo bovis & lustralibus extis.*

Ita Ruffus Avienus in periegesi non uno continuo  
margine prætextum dixit Oceanum:

*Nontamen affiduo teres undiq; margine circum*

*Claudiatur hæc, bisido sed brachia littore pandens.*

Qvemadmodum quidem hæc Dn. Barthius exposuit  
l. 23. c. 9. & l. 46. c. 16. qui & adiri poterit l. 34. c. 5.  
ubi Ἀξευον efferati animi barbarum exposuit atq; te-  
trum, ut apud Silium l. 3. inhospita rura & l. 16. inho-  
spita lustra. Cum primis verò Pontus olim ab inho-  
spitali feritate axenus appellatus fuerat, sed melio-  
ris ominis & auspicii gratia postea Euxinus, quasi  
Ἄξευον vel Ἀξευός, hospitalis cognominatus fuit.

V. 86. *Non ego ferrato tegerer si viscera muro.]* Costas  
dicit quasi crates pectoris & latera firmissima, à De-  
clamatoribus & Poëtis præcipue desiderata.

V. 87. *Ferrea vox linguae, forent nihil mille canenti.]*  
Plus quam Maro dicere voluit 2. Georg. & 6. Æneid.  
v. 625. ubi vide Cerdam:

*Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,*

*Non*

Non mihi si lingua centum sint orag<sub>s</sub>, centum,

Ferrea vox, &c.

Persius Sat. 5.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,

Centum ora & linguis aptare in carmina centum.

V. 97. Te Genitor nostrâ, pateretur ut oraturi,

Induit humanâ facie membrisq<sub>s</sub> caducis.] ubi tueri  
passive accipi voluit D. Barthius l. 25. c. 7. ut apud  
Boethium.


V. 119. Agnoscuntq<sub>s</sub> suum dilecta cadavera nomen.]

Cum diceretur : Lazare exi forâs.

V. 143. At nunc Tu Dominum meritis, pietate parentem,

Imperio facilem, vivendi lege magistrum

Edictisq<sub>s</sub> parem, quæ lex tibi condit a sancit. ] Con-  
stantinum Magnum, ob merita verè Dominum, sed  
misericordia Patriæ patrem, lenissimumq; Impera-  
torem, & licet legibus solutum, tamen eas, qvas edi-  
xisset, servare sverum & quæ aliis præcepisset, quæ-  
que ipse DEus sanxisset, servare solitum Salvatori  
commendat, ut ipsum sanum, latum victoriosumq;  
conservet, & filioeum faciat exprimere, æmulari &  
exaqvare.



## RUSTICI ELPIDII

Carmen de JESU CHRISTI be-  
neficiis.

Conditor omnipotens rerû, mens unica sumi

Et proles æterna Dei : quia gloria Patris.

Verbi fœcundus honor, quo cœrula Ponti

Dif-